



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 24. Circa Fautores hæreticorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

42
Potest, &
deb.

Potest, & obligatur. Quia damnum commune speciali est preferendum: neque contra reuerentiam debitam parenti est, eius utilitatem spirituales querere, ac peccata impedire: & potius Deo, quam parentibus est obediendum. *Cap. Relatum, de sentent. excommunic. cap. Quisquis metu, 11. question. 3.* Nam si licitum est, patrem impugnantem patriam impune interficere. *leg. Minime, Digestis de Relig. & sumptibus funeris:* multo magis eundem Catholicæ fidei reum licebit denunciare. Ita Suarez de fide, *disputation. 20. section. 4. numero 21.* Toletus *libr. 5. cap. 1. num. 10.* Bonacin. *disput. 2. de censur. ques. 6. punct. 1. num. 5.* Barbola de potest. *Episc. p. 3. alleg. 96. num. 56.*

421
Hoc proba-
bilis esse
iudico.

Cum his probabilis opinio, adiciens cum Pegna citato, filium denunciantem patrem hereticorum filios iure statuti ob præmiam delationis liberari, argument. *leg. Quisquis, §. vltim. Cod. ad leg. Julian.* Ne huiusmodi scelus ex defectu delationis maneat impunitum. Quod definiuit Federicus Imperator in *leg. Commissi nobis celsius*, quam legem Innocentius IV. postea approbavit in Bulla edita anno 1252. incipiente, *Cum aduersus.* Consentit Castro *lib. 2. cap. 29.* Suarez de fide, *disputat. 20. sect. 4. num. 22.* Porro Farinac. *ques. 197. num. 45.* & Rojas *singul. 12. num. 6.* annotant patrem sic à filio delatum mitius esse puniendum, ne scilicet ipse filius in patre puniatur.

DUBIUM LXXXIX.

Teneturne quis Tribunali Inquisitionis Religiosos exemptos denunciare, præcipue cum apud Pontificem eos deferre possit?

422
Questionis
sum.

AB Inquisitorum officio olim aliqui Religiosi erant exempti. At iam usus obtinuit, neminem eximi, neque à suo Prælato indicari posse; sed remittendos esse fidei Censoribus, qui accuratius causam examinabunt. Suarez de fide, *disputation. 20. section. 4. numero 22.* Pegna *part. 3. Direct. quest. 28. comment. 77.* Quæsierim, tamen, dato, quod hi exempti adhuc sint, & eorum causa ad Sedem Apostolicam esset deferenda, eamque deferre quis facile possit: num teneatur hos exemptos Tribunali Inquisitionis denunciare?

423
No tenetur.

Non tenetur. Quia denunciatio ad inquisitionem, & iudicium ordinatur: si igitur incapaces essent Inquisitores, & Ordinarii inquirendi, & iudicandi hos exemptos, videtur denunciationis obligatio cessare. Sic docti Theologi.

424
Tenetur
quidem.

Tenetur quidem in tali casu hos exemptos denunciare, ac si à Censoribus fidei exempti non essent. Quia illa denunciatio est efficax remedium impediendi damnum, quod ex hæresi potest provenire: remissa enim denunciatione ad Sedem Apostolicam, Sedes Apostolica, si firma delatio videatur vices alicui committit inquirendi, & procedendi aduersus illum exemptum. Deinde fidei Censores iurisdictionem, & potestatem habent ad recipiendam testimonium depositionem, si qui sint, qui velint deponere. *Cap. Inquisitores, de hæres. in 6. ibi:*

Si sciuerint, vel nouerint, testimonium, inquam, depositionem, alias enim non est scientia, quæ fidem in iudicio faciat. Ergo denunciatio, etsi vices denunciatoris non agat, vicem testis lubire potest, & delictum exempti manifestare. Ita Fernandez de Castro Palao vir quidem circa Sancti Inquisitionis indulta, & stylum doctus admodum, quippe qui multis annis gessit qualificatoris munus de fide, tract. 4. disp. 3. punct. 4. numero 20.

Ego quidem, si hanc lubeat mentem sectari, affirmo, hæc à fortiori procedere, quando vel fuga timeretur, exempti, vel aliquod perniciosissimum damnum in Ecclesia, eo quod errores disseminaret, & hæreticos defenderet, neque coerceri posset: tunc enim ex benigna interpretatione legis, censetur Pontifex concedere fidei Inquisitoribus potestatem exemptum capiendi. In tali ergo casu certum mihi, te obligatum esse denunciare exemptum. Quia denuncias superiori, qui ex denunciatione inchoare causam potest, etiam illam terminare non valeat. Pegna *part. 3. Direct. quest. 28. comment. 77.* Molina *tractat. 5. de instit. dub. 18. numero 20.*

CAPVT XXIV.

Circa Fautores hæreticorum.

DUBIUM XC.

Qui semel, aut bis ad audiendas conciones hæretici adeat, estne, ut credens illi reputandus?

REOLLO, nomine credentium hæreticis comprehendi, qui eorum erroribus siue in partibus, rebus, siue in cõmuni, siue expresse, siue consule assentiuntur, signis externis tali assensu manifestato. Nauarra *summ. cap. 27. num. 55.* Suarez de censur. *disput. 21. section. 2. num. 6.* Bonacin. de censur. *disputat. 2. question. 5. punct. 3. numero 2.* Porro signa huiusmodi affectum indicantia sunt aut verba, aut facta, quibus grauis hæresis suspicio nascitur. Quæ autem hæc sunt optime expendit Farinac. de hæresi, *question. 81. numero 110.* Dubitatum tamen, num si semel, aut bis quis ad audiendas hæretici conciones adeat, ut credens illi sit reputandus?

Reputandus est credens hæretico. Quia ex gemino actu licet veritas huius credulitatis non appareat, tamen præfata grauis est credens suspicio oritur, ex qua tanquam credens hæretico quis iuste possit condemnari. Sic Doctores communiter, quorum sententiam merito approbat Fernandez de Castro de fide, *tractat. quart. dubio 3. puncto 5. numero 2.*

Ex gemino actu non est ille ut hæretico credere

Sectio II. De Fide, Dubia.

59

dens reputatus. Quia potest iudicari illum non affectus ad doctrinam adire, sed curiositatis causa audire voluisse concionantem hereticum. Ita Pegna p. 2. *Direct. q. 50. comment. 75.* Decian. l. 5. *tr. crim. c. 18. vers. 16.* Grassi l. 4. *deci. c. 18. n. 29.* & 30. Farinac. *de heresi, quest. ion. 81. num. 115.* & 116. Suarius *de fide, disp. 22. sect. 1. numero 3.*

429 *Auctoris responsio.* Ego autem sic questioni satisfacio: Cum quis Catholicus in terris hereticorum existens semel aut bis ad conciones hereticorum pergit, curiositatis gratia gessisse presumitur: sed verò si in Catholicorum terris occulta ab hereticis conventicula celebrari intelligat, & illuc vadat, etiam si semel: & non denunciatur id Episcopo, vel Inquisitoribus, suspitione heresis non carebit. Cum in hoc casu approbare censetur, quod potuit auertere, si iudicibus Ecclesiasticis, ut debuit, indicasset: nisi considerata personæ qualitate, perignorantiam excusaretur. Mecum Azorius tom. 1. lib. 8. *capit. 15. quest. ion. 1.* Farinac. *de heresi, quest. ion. 182. numero 120.* Pegna citatus.

DUBIUM XCI.

Sitne fautor heresis, quando solum ex speciali Inquisitorum mandato, & non ratione officij tenetur fauorem Fidei causæ præstare?

430 *Nonnulli sapientes.* Communis omnium sententia est, te non esse fautorem heretici, nisi aduersus iustitiam, & obligationem officij delinquis. Quia cessante obligatione iustitiæ, tibi imputari non potest, hereticum non corrigi, cum tua non interstet illum corrigere. At si ex iustitia obligatus sis hereticum capere, vel denunciare, quæ obligatio oritur ex officio: fautor heretici merito diceris, si fauorem debitum præstare omittis. Vnde si Inquisitores, vel Episcopi in fauorem heresis omitterent delinquentem capere, torquere, punire, & in carcere custodire fideliter, fautores hereticorum proculdubio essent. Quæserim vero, an sit fautor heresis, qui non ratione officij, sed ex speciali Inquisitorum mandato tenetur fauorem causæ fidei præstare, v.g. capere, aut denunciare hereticum, &c.

431 *Non est heresis fautor.* Quia non videtur aduersus iustitiam, sed solum aduersus fidem peccare in talis fauoris omissione. Alias quoties subditi Superiori præcipienti non obediunt, duplex piaculum perpetrarent, alterum aduersus illam virtutem, cuius est materia præcepta verbi gratia, Temperantiæ, vel Religio- nis, si Missa, vel ieiunium imperetur: alterum aduersus ius superioris, quod ex omissione sui præcepti læditur. Vnde non sunt fautores heretici singulares personæ, quibus ex officio non incombis fidei fauere, & heresim extirpare. Sic Eymet. *parr. 2. quest. ion. 53. num. 3.* Farinac. *de heresi, quest. ion. 182. Paragraph. secund. numero 36.*

432 *Est fautor heresis.* Quia si lato Inquisitorum præcepto non obediunt, sed omittunt auxilium

contra hereticum præstare, peccant contra ius debitum Superiori præcipienti: quod videtur sufficiens, ut fautores hereticorum habeantur. Ita Sanchez lib. 1. *Dealogi cap. 10. numero 15.* Pegna *Director. quest. ion. 53. comment. 78. vers. 1.* Ego Palao *tractat. 4. de fide, disputat. 3. puncto 5. numero 7.*

His adhæreo Doctoribus. Ex quo fit, si interrogatus à Censoribus fidei celes veritatem, vel requisitus capere hereticum, id omittas, vel imperatus manifestare hereticum, omittas denunciare: fautorem hereticorum te esse habendum. Quia omittis ea gerere, quæ ex speciali tui Superioris præcepto facere debebas.

DUBIUM XCII.

Ut quis fautor hereticorum vere dicatur, sufficitne cum in fauorem heresis auxilium præstare?

424 *Non sufficit.* Non sufficit, nisi fauor defensio, & receptio heretici præstetur animo faciendi eius heresi. Vnde si non adsit animus huiusmodi, non erit fautor hereticorum licet actione ipsa in heresis fauorem cedat. Quia fere omnes Doctores sentiunt, ad fauorem necessario requiri fauere heretico, ut hereticus est. At si heretico quis fauet, quod sit illi amicus, vel consanguineus, non fauet illi, quia hereticus est. Ergo non est fautor heretici. Sic Sanchez lib. 2. *Dealogi ap. 10. num. 5.* Bonacin. *de cen. in disputat. 2. quest. ion. 5. puncto 3. numero 1. & alij.*

435 *Sufficit qui.* Sufficit quidem. Quia si auxilium impendit quis heretico cedens necessario in heresis fauorem, absolute vult in executione heresi fauere: fauor enim heresis omnino consistit in illo auxilio præstito, nec impeditur ex alia vniuersaliori intentione, si forte habeat: ergo verè dicendus est fauere heretico, ut hereticus est, quoties illius heresi fauet. Ita Sua. *de fide, d. 24. sect. 1. n. 9.* Castro Palao *de fide, tract. 4. d. 3. punct. 5. num. 9.*

436 *Hanc sententiam probabilem eligo.* Probabilius censeo, hereticorum esse fauorem, qui in fauorem heresis auxilium præstatur, etiam si non procedat auxilium ex animo faciendi heresi, sed satisfaciendæ alteri humane obligationi. Nam ex variis textibus in *titul. de hereticis, in 6.* aperte constat, solum fauorem heretico factum cedentem quidem in hereticæ prauitatis fauorem attendi, ut fauoriam heresis constituat: neque aliam intentionem formalem requiri. Patet hoc ex *cap. Accusatus, §. Sacerdotes, de heret. in 6.* ubi Sacerdotes, & alij Clerici impediunt Inquisitionis officium, compesci possunt, tanquam heretici fautores. Cum non sit dubium (textus ait,) eos ipsa facere in fauorem hereticæ prauitatis.

DUBIUM

DUBIUM XCIII.

An Fautores hereticorum incurrant, pœnas iure præscriptas antequam ab Ecclesia denotati sint, & in excommunicatione publica per annum inforduerint?

437
Nonnulla
recolo.


R Ecolo pœnas, quibus receptatores, fautores, defensores, hereticorum afficiantur, quas fere omnes enumerat Pontifex in cap. Excommunicamus, §. Credentes, de heret. in hæc verba: Credentes præterea, receptatores, defensores, & fautores hereticorum excommunicationi decernimus subiicere: firmiter statuente, ut postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum: ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, neque ad eligendos aliquos ad huiusmodi, neque ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, neque ad hereditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, neque causa aliqua ad eius audientiam perferantur. Si fuerit Advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti, sed cum Authore damnato dammentur: & in similibus idem precipimus observari. Si vero Clericus fuerit, ab omni officio, & Beneficio deponatur, ut in quo maior est culpa, gravior excerceatur vindicta. Si qui autem tales postquam ab Ecclesia fuerint denotati euitare contempserint, excommunicationis sententia usque ad satisfactionem idoneam percellantur. Sane Clerici non exhibeant huiusmodi persistentibus Ecclesiastica Sacramenta: nec eos Christiana presumant tradere sepultura, nec elemosynas, aut oblationes eorum percipiant: aliqui suo priventur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali. Similiter quilibet Regulares, quibus etiam hoc insigatur, ut eorum privilegia in illa Diocesi non serventur, in qua tales excessus præsumpserint perpetrare. Quæsierim ergo, an præfatas pœnas incurrant fautores hereticorum antequam ab Ecclesia denotati sint, & in excommunicatione publica per annum inforduerint?

438 Non incurrunt. Quia id indicat textus illis verbis: Postquam quis fuerit excommunicatione notatus, & per annum inforduerit: & illis, Ab Ecclesia fuerint denotati. Quæ omnia indicant excommunicationis publicationem, Sic Eymer. p. 3. q. 123. n. 2.

439 Distinguo de pœna infamiae, & incapacitatis Aliqui ex his ad testandum, & ad officia publica, & in his hic incurrunt. requiritur, per annum in excommunicatione infordescere; in reliquis vero pœnis spiritualibus, quales sunt privatio Beneficiorum Ecclesiasticæ Sepulture, orationum, & oblationum, hanc perseverantiam, & publicationem excommunicationis non requiro. Ita Suarius de fide, disputatione 24. sessione prima, fine.

440 Ego autem existimo, ex vi præfati textus

& ratione excommunicationis, nullam ex prædictis pœnis fautores hereticorum incurrere nisi per annum in excommunicatione notati inforduerint. Quod indicavit Eymer. cum loco allegato dixit, Non videntur alias pœnas incurrere ex eo quod sunt in excommunicatione per annum, nisi sic excommunicati notentur, & publicentur. Quasi diceret, & alio capite illos incurrere posse. Ideo enim dixi, Ex vi præfati textus, nam ex vi aliorum textuum eas pœnas incurrunt. Certe de pœna infamiae, privationis officiorum, incapacitate ad testandum, & ad succedendum, tradit Farinac. de heresi. qu. 183. num. 59. 60. & 106. De Beneficiorum privatione tradit, num. 40. & 107. præterquam quod privatio Beneficiorum, quæ habentur, non sit ipso iure, sed per sententiam saltem declaratoriam, ut aliis allegatis, docet Pegna part. 3. Director. comment. 16. Farinac. qu. 189. num. 73. Ad alia vero obtinenda ipso iure inhabiles efficiuntur, ut constat ex cap. Quicumque, de heret. in 6. vers. Heretici. Limbo tamen sententiam in sepultura Ecclesiastica, & orationibus gerendis pro fautore hereticorum. Quia eo ipso, quod confiter, aliquem fovendo hereticis decessisse, non debet inter Christianos Sepulturam obtinere, neque pro illo orationes fundi in peccato enim lethali, victus excommunicatione decessit, cap. Sicut, de heret. & cap. 2. eodem titulo, in 6. & ex Constitut. Innocentij I V. quæ incipit, Nouerit. Verum tamen hoc raro consistere poterit: nisi condemnatus sit.



CAPVT XXV.

Circa spirituales hereticorum pœnas.

DUBIUM XCV.

An sufficiat declarari aliquem esse hereticum, quin declaretur, esse excommunicatum, ut vitandus sit?



ERTUM est, hereticum esse ipso iure excommunicatum ex Cap. Cum Christus, initio. Cap. Ad oblationem. Cap. Excommunicamus, 1. & 2. de heret. cap. Nouerit, de sentent. excommunic. Excommunicatio autem lata in illis capitulis non erat Pontifici reservata, quæ tamen iam reservata est ex constitutione Bullæ Cœne clausul. 1. Debet autem heresis esse signo aliquo externo manifestata; nam pure mentalis Ecclesiæ iurisdictioni non subditur, quia Ecclesiæ visibilis est: subditur autem quilibet heresis externa quantumvis occulta. Certum etiam est, iure diuino nullam esse latam excommunicationem aduersus hereticos. Quia excommunicatio hæc consistit in participatione actiua, & passiva Sacramentorum,